



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1849

XV. Privilegium der Gewandschneider zu Brietzen, vom 14. Dezember 1337.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54022)

XV. Privilegium der Gewandschneider zu Brieghen, vom 14. Dezember 1337.

In nomine Domini Amen. Quoniam omnium habere memoriam potius est divinitatis quam humanitatis, ideo propter oblivionem intellectus humani necesse est ea, que aguntur, in lingua testium poni et scripture memoria perhennari. Nos igitur Brycene civitatis consules notum esse volumus universis Christi fidelibus presentibus et futuris, ad quos presens scriptum fuerit devolutum, quod pannicide nostre civitatis professionem eorum a nostra manu et potestate acceptaverunt illam propter causam, ut in omnibus necessitatibus eis imminentibus viriliter ac fideliter ipsos gubernemus et qui predictam professionem velint procurare, si digni inventi fuerint ad capiendum eam tunc in honorem Jesu Christi ad lumina ejusdem professionis quatuor talenta cere debent conferre nobisque consulibus in pretorio porrigere debent quatuor grossos, ad consorcium quoque professionis predictorum pannicidarum tertium dimidium fertonem similiter debent erogare. Vt igitur hoc factum de maturo consilio et unanimi consensu predictorum pannicidarum inviolabile permaneat et firmum, super hoc jam sepe dictis pannicidis presens scriptum dedimus et illud civitatis nostre appensione sigilli fecimus communiri. Hujus facti testium nomina sunt infra scripta videlicet consules Brycene Gheldekinius, Johannes Rotftok, Johannes Wegener, Michel Brakewitz, Johannes Nichelmann, Johannes Golden qui tunc consilio civitatis presuerunt, Datum super pretorium civitatis Bricene Anno Christi M. CCCXXXVII decimo nono calendas mensis Januarii in die Nicali episcopi et martiris.

XVI. Bischof Friedrich von Brandenburg bestätigt die Verbriefung des Herzogs Rudolph von Sachsen für den Calandsaltar in Brieghen, am 30. März 1340.

Nos Fridericus Dei gratia Brand. Ecclesie Episcopus presentibus recognoscimus et ad notitiam deducimus plurimorum, quod donationem Illustriss. principis Domini Rudolphi Ducis Saxonie Senioris factam Altari fratrum Calendarum sito in Ecclesia beate nostre Virginis in Brizna, per quod ipsum Altare dotatum esse dignoscitur, et pias elemosinas fratrum eorundem, prout in originali authentica ipsius Domini Ducis plenius continetur, Laudamus, Approbamus et in Dei nomine presentibus confirmamus. In cujus Confirmationis clariori testimonio sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Ziefer anno Domini M. CCCXL feria quarta post dominicam Letare.

XVII. Markgraf Ludwig bestätigt der Stadt Brieghen ihre Rechte, am 29. Juli 1341.

Ludouicus, Dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, Comes Palatinus Rheni, Dux Bavarie, Sacri Romani Imperii Archi Camerarius, Prudentibus et discretis viris consulibus et universitati civitatis Brizen fidelibus suis dilectis gratiam suam et omne bonum. Ob fidelitatis vestre constantiam in vobis omnimode repertam ad notitiam universonum et singulorum, quibus oblatum fuerit presens scriptum, cupimus pervenire, quod vos et singulos vestre civitatis incolas in omnibus ju-